Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2037

Quelle:
Copyright:

rum Pauli tertij &c. ab eoque *Romam* evocari petierat, id quod et factum fuiſſet, ut ait, niſi Pontificis avaritia, *Tridentinus (Bernardus Cleſſius)* et Card. *Jac. Sadoletus* impediviſſent. Porrexit praeterea Commiſſariis impreſſum *Sexternionem* Regi exhibendum ex L. IV. Operis ſui *de Monarchia et Renaſcentia Chriſtianae Fidei*, in quo non ſanius bacchabatur. Haec et plura alia in praeſenti Scripto *Ruperti* manu ſignato *Nauſea* et *Cochlaeus Ferdinando* referunt. Reliqua infelicis Viri fata *Haganoae* in cuſtodia 1544. extincti tetigi in *ſuprac. Hiſt. typogr.* et refert *Marcus Hanſizius Germ. Sacrae* T. I. *Coroll.* 8. atque *V. L. a Seckendorf Hiſt. Luth.* L. III. §. 79. *Addit.* 5. Ex Scriptis ejus Theol. ſat raris in *Bibl. Auguſta* conditur *Microſynodus Moguntina.* 1539. *Treverina* 1539. *Hieruſalem nova* 1540. *Microſynodus Norimbergenſis.* 1541. *Ratisbonenſis ſ. a.* Omnia *ſ. l.* in 4.

II. *fol.* 9. Opuſculum *Joh. Fabri* αὐτογραφον, ſed affectum tantum, quod dein a *fol.* 45. alia manu deſcriptum integrum habetur, de eo, quod in Sacramento Euchariſtiae poſt conſecrationem, quamdiu Species permanent, permaneat etiam verum Chriſti corpus, ſermone germanico et hoc titulo: *Das im Hochwirdigen Sacrament des Altars nach der Prieſterlichen Conſecration oder Turmung* (Dermung, Dyrmung, Thürmung, Elevatio) *ſo lang die Species gantz ſein beleib, vnnd ſey der ware vnnd ganze Chriſtus. Beſchriben durch Herrn Johann Fabrj Biſchoue zu Wienn Im Jar* 1539. Initium: *Es hat der Heillig vnnd Gotsforchtig Simeon aus dem heilligen geiſt weisgeſagt* &c. Ineditum cenſeo opuſculum, in quo Autor etiam *Johannem Huſſum* contra *Lutherum* in ſubſidium vocat.

III. *fol.* 106. *Apologeticus D. Joannis Cochlei aduerſus Hereticos ad Carolum V. Imp. Aug. pro clero auguſtenſi.* MDXXXVII. Teſte *Sleidano* L. XI. poſtquam Clerus Catholicus urbe ceſſiſſet, Senatus edito ad Caeſarem et Imperii ordines ſcripto ſe purgavit, cui ſcripto *Chriſtophorus a Stadion* Epiſcopus cum ſuo, tum ſuorum nomine obviam ivit. Utrumque Scriptum lingua germanica conceptum habes apud *Hortlederum* L. V. c. 3. et 4. a p. 1964. *Apologetici* tamen praeſentis, qui controverſiam hanc multum illuſtrat, nullibi inter *Cochlaei* Scripta mentionem invenio. Orditur is poſt titulos imperatorios: *Quamquam ego indignus ſum, ut ad tantum Maieſtatis tuae ac ſublimitatis tue uerticem uerba faciam, chriſti tamen cauſa, de qua dicturus ſum, indigna non eſt, que publico multorum gemitu et planctu tibi ut ſupremo eccleſie aduocato iuſtis neceſſariisque proponatur querellis* &c. Quae porro praecipue urgentur, ſunt: Cleri vexatio, non eſſe diſputandum cum Haereticis, non eſſe diſputandum cum Laicis de fide, non debere de Sa-